



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quot sint genera, ac species Legatorum Sedis Apostolicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

AA. nisi per privilegium reale, ac perpetuum certo ordini v. g. concessa sit potestas eligendi, ad privilegia v. g. sua defendenda, Conservatorem. Videatur etiam de his Conservatoribus Trident. sess. 14. c. 5. de refer.

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

§. I.

Quot sint genera, ac species Legatorum Sedis Apostolicæ:

IN triplici differentia sunt Sedis Apostolicæ Legati; alii sunt, & dicuntur, Legati à Latere, Cardinales scilicet, qui à latere quasi Summi Pontificis, cui in rebus arduis, & magni negotii assistunt, mitti solent: alii dicuntur Legati missi, qui à Summo Pontifice ad unam, aliâve provinciam mittuntur, ut officium Legatorum exercent; & quamvis quilibet Clerici hoc modo mitti possint, hodie tamen ordinariè, qui taliter mittuntur, sunt Prælati Ecclesiarum, qui ratione privilegiorum, quæ habent, jam Legati missi sive Nuntii Apostolici cum potestate Legatorum à Latere dicuntur, jam simpliciter tantum Legati missi, seu Nuntii Apostolici appellantur. Alii denique sunt Legati nati, qui Prælatuæ, seu dignitati suæ Ecclesiasticæ, officium, seu munus Legati Apostolici perpetuò annexum habent. Censentur autem omnes isti Legati ordinariam jurisdictionem habere in Provinciis, ad quas sunt deputati, c. 2. b. t. in 6. de quo plura in sequentibus.

§. II.

De jurisdictione, & potestate omnibus Legatis Pontificis communi.

Potestatem Legatorum Apostolicorum tum absolutè, tum quoad extensionem, aut restrictionem, pendere ex voluntate Papæ legantis, certissimi juris est; & hinc legationis suæ literas publicare solent, ubi ad Provincias sibi commissas pervenerint, ut nota sit eorum potestas, nisi Legati nota probitas, vel auctoritas, si Cardinalis sit, saltem quoad ea, quæ in generali officio legati continentur, fidem faciant. Et quamvis in genere officium eorum describatur in c. 2. b. t. in 6. & non tantum regulariter possint in suis Provinciis, quod possunt ordinarii locorum, sive Episcopi hi sunt, sive Archiepiscopi, imò amplius quid possint, cum ipsi etiam Ordinarii eorum jurisdictioni, etiam quoad pœnas subiciantur, non potest tamen Legatus, quamvis à Latere sit, Episcopum transferre ab uno Episcopatu ad alterum, unire sibi invicem duos Episcopatus, aut unum in duos dividere, Episcopos deponere, eorum resignationem admittere, aut alia, quæ specialiter Papæ